

CLVI.

1496. 4. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex antiquam legem et consuetudinem Regni Slavoniae, qua ejusdem Regni Banus suos Vicebanos solummodo e gremio possessionatorum Incolarum eligere poterat, confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Fideli nostro Illustri Johanni Coruino, Oppauie et Liphouie Duci, ac Regni nostri Sclauonie Bano &c. salutem et graciam. Expositum exstitit Maiestati nostre pro parte, et in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Nobilium Regni nostri Sclauonie. Quod, quamuis ipsi ab antiquo hanc habuerint priuatam legem et consuetudinem, vt Vicebani semper in ipsorum medio, de pocioribus et antiquioribus Nobilibus per Banos nostros pro tempore constitutos electi fuerint, et non externi qualescunque, aut nouiter nobilitati. Tamen his aliquot annis preteritis huiusmodi ipsorum antiqua consuetudo aliquantulum exorbitasset. Quod cederet in oppressionem et iniuriam eorundem non mediocrem. Quia autem nos ipsum Regnum nostrum Sclauonie et eiusdem incolas omnino in antiquis suis iuribus et libertatibus intendimus et volumus conseruare. Ideo fidelitati vestre harum serie mandamus firmiter, vt a modo deinceps dictam vniuersitatem Nobilium in eorum predictis antiquis consuetudinibus et iuribus conseruetis, Vicebanos tales in medio eorundem, qui sint modo premissis de pocioribus Nobilibus et antiquiori familia in ipso Regno nostro Sclauonie eligendo. Et hoc volumus etiam per futuros Banos eiusdem Regni nostri suo modo obseruari. Secus non facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima ante festum Beati Nicolai Episcopi et Confessoris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 73.